XXXIII
GIAN.

B. N. C
FIRENZE
1079
15

Misc. 1079 - 15

LXXIX

1079.15.

FRIDERICI
GIANNETTI ALBIANENSIS
SAC. THEOL. DOCT.

Insignis Collegiatæ S. Lavrentii Florentiæ Canonici, Presbyt. Congreg. IESV Saluatoris, & Accademici Apatistæ

Ad Tonellianam Apologiam leniendam

ALEXIPHARMACVM.

1872

LVCÆ,
Apud Hyacinthum Pacium. M.DC.LXXXV.

De Superiorum Licentia.

Superiorum Iuſſu vidit Ioſeph Arnolphinius I.V.D.& Eccleſ. Catedralis Canonicus Pœnit. Coad.

Imprimatur
Flam. Nobil Vic. Gen. Em. Card. SPINOLA Ep. Luc.

Laurentius Manſius Perilluſtr. Off. Iuriſd. Præpoſ.

FRIDERICI GIANNETTI

Albianensis Sac. Theol. Doct. ad Tonellianam Apologiam leniendam *Alexipharmacum.*

§. 1.

NE perẽnibus turbis agitatas, anxijsque scrupulorum sollicitudinibus pœnè oppressas nostrorum Ciuiũ conscientias viderem, synopsi mea componere, ac pristinæ tranquillitati salubriter restituere pro virili parte cõtendi, me facturum operæ pretium ratus, si quæ mihi ad aliorum præsidium theologica diuinitùs obtigere, ea vniuersorum commodo in suscepta de Ieiunio causa sine fuco, ac fallacijs proponerem. Res ex voto successit; sedatis enim, quos improuidè nonnulli excitauerant, motibus, idem ipse, qui anteà opinionem meam improbabilem, & bonis moribus absonam appellare fuerat ausus, veram, ac omniũ Doctorum placitis, vt inquit, conformẽ agnoscens, ei se subscribere palam professus est. Quod quia voluptatis æquè, ac quietis plurimum allaturum Christianæ plebis mentibus confido, ex Apologiæ, vt olim alter ex Ennij stercore tantæ veritatis aurum colligere non ab re puto.

2 Mos est Florentiæ non modò, sed Ro-

mæ, & in Italia, imò Europa vniuersa, vt sacrosancto Quadragesimalis Ieiunij tempore quicumque iusta quapiam impellente causa Ecclesiasticam illud corporalis abstinentiæ præceptum seruare nequeunt, Medicum conueniant, & de sua ipsorum ægritudine, aliauè rationabili causa certiorem factum rogent, vt testimonialem sibi tesseram exhibeat, qua Ecclesiasticũ Superiorem de suo ad Quadragesimalis ieiunij obseruantiam impedimento moneāt. De cognita, & perspecta Medicus in hanc formam præscribit. *Il Signor N.N. per giuste cause non puol'osseruare la presente Quaresima*. Hac Superior Ecclesiasticus inspecta subdit: *Si dispensa*. Hæc dispensatio generalis est, quia relationem habens ad illa verba, *la presente Quaresima*, nullũ excipit Quadragesimæ diem, sed æquè ad omnes & singulos extenditur: legitima est, quia fundatur in causa iusta, vt testatur peritus, cui omninò credendum est: *cap. Fraternitatis de frigid. & malefic.* & conceditur a legitimo Superiore, qualis est Prælatus, aut alter ex eius mandato, qui supposita iusta causa & validè & licitè illam concedunt, vt firmant omnes DD. Absoluta est, quia nulla conditione limitatur.

3 De dispẽsatione huiusmodi nũquā dubitarũt Theologi, quod eximeret absolutè, ac generaliter dispẽsatos ab omnibus Quadragesimæ oneribus pro omnibus, ac singulis eius-

eiusdem diebus; Cuilibet enim Dialecticæ non omninò ieiuno non poterat non esse compertum, implicare in terminis exemptionem generalem, legitimam, & absolutam a lege, quæ nihilominùs ab aliquo eiusdem legis non eximeret; hoc enim ipso quòd sic exemptus ad aliquid legis illius teneretur, exemptio esset simul generalis nō generalis, legitima non legitima, absoluta non absoluta, quæ chymeram prorsus inuoluunt. Anno tamen ab orbe reparato 1683. prædictum morem abusus nota perstringens Tonellius, & quotquot ipsum antè áctis retrò sæcul s amplexi fuerant, ignorantia, & errore ductos *num.* 32. suæ Dissertationis redarguens, dispensatos huiusmodi mortaliter peccare affirmauit, si diebus quatuor temporum, vigiliæ S. Matthiæ; & singulis 6. ferijs, Sabathis Quadragesimæ non ieiunassent.

4 De quatuor temporum, & vigiliæ S. Matthię diebus cū res esset apud plurimos Doctores examinata, & ieiunium in illis præcipiatur non modò præcepto quadragesimali, sed alio peculiari afficiente vigilias, & quatuor tempora, & sit manifestū, quòd dispensatio a quadragesima non eximit ab alio præcepto distincto a quadragesimali, liquidò constare videbatur, dispensatos a quadragesima adhuc remanere ad talium dierum ieiunium obligatos. At de ferijs 6. & Sabathis, quibus obligatio ie-

iuuandi ad unćta est ex solo quadragesimali præcepto, longè alia fuit sententia; sublata enim per præfatam dispensationem quadragesimali lege respectu dispensati, non apparebat, ex quo tandem capite remaneret ad ieiunium feriæ 6. & Sabathi obligatus. Theologorum igitur Sapientissimi P. Sebastianus de Comitibus è Societate Iesu, P. Placidus Rossi Clericus Regularis, D. Carolus Mazzius, alijque quamplures non tam rei nouitate commoti, quàm scrupulis, quibus Vrbem nostram sententia illa perniciosè fatigabat, occursuri, eam eruditis rationibus refellere conati sunt; quorum ego opinionem amplexus in me vnum tàm virulentæ Apologiæ iacula contorta præsensi, vt primò aspectu obstupuerim, deindè excusare illum exoptans subito iræ impetu locutum mihi facilè persuaserim, ac proindè non ipsi, sed iracundiæ, quidquid illud est satyricum, imputandum esse duxerim; nam teste D. Gregorio 5. *moral. 30. Per iram dum perturbata mens rationis iudicium exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.* Miserrima hæc nostrorum temporum conditio est, vt nec vitia pati nostra, nec remedia possimus. Sed priuatas negligere iniurias fraterna mihi suadet charitas, & suo sibi iure communis boni, quod vnicè præ oculis habendum est, postulat ratio. Æstuantis iracundia hominis factum qui nequit, intentionem excu-

set

ſet, Tantam effundere menti caliginem iræ non licuit, ut identidem ueritatis internitente radio, recti tandem ſemitas itineris non deprehenderit, & ſequenti confeſſione non ſit abundè teſtatus.

§. *II.*

5 Teſtatus, inquam, Tonellius eſt, quòd licèt propoſuerit quæſtionem de diſpenſatione generali, intellexit de generali quoad verba, ſed partiali quoad ſubſtantiam: ſic habet Apolog. pag. 25. num. 22. *Diſpenſationem hic Florentiæ concedi ſolitam ſub generalibus verbis etiam mediocriter indigentibus eſſe generalem quoad verba, partialem quoad ſubſtantiam.* pag. 34. n. 3. *Diſpenſatio eſt generalis quoad verba, non autem quoad ſubſtantiam*. Secundum rem igitur terminus ille *generalis* ab ipſo in ſua propoſitione prolatus, idem ſignificat *ac partialis.*

6 Hanc eius mentem, & præfati termini ſignificationem in eo ſenſu accipere nec debui, nec potui. Non debui, quia Dialecticis aduerſatur præceptis, Philoſophicis à moribus abhorret, & Theologicis à dogmatibus alienum omninò eſt, terminos extra propriam ipſorum ſignificationem, & contra communem ipſorum uſum a Doctoribus vſurpatum interpretari: Numquam autem Doctores partiale per *Generale* ſignificarunt, cum hæc duo inuicem oppoſita

 ſem-

ſemper eſſe animaduerterint. Non potui: qu ia num. 37. ſuæ Diſſertationis verſu *vna tantum &c.* dixit differentiam inter Diſpenſationem generalem, & partialem a me in ſynopſi mea magni ponderis factam eſſe nouam, & nullo pacto probandam; *Quæ differentia noua eſt, & a nullo Authore excogitata, eamquè non aſſignant DD.* Qua igitur ratione poteram conijcere, quòd per terminum *Generale* loqueretur de diſpenſatione partiali, quam, ut meum figmentum expreſſis verbis redarguebat, faſtidiebat, negabat? Iam tamen cum ſuam citatis locis aperuerit mentem, & hac, quam improbauerat, differentia ſe tueatur, ſatis intelligo ipſius quæſtionem procedere de diſpenſatione partiali.

7 Teſtatus pariter eſt, quòd quamuis propoſuerit quæſtionem de diſpenſatione legitima, non intellexit de verè ac ſimpliciter legitima, ſed de legitima abuſiuè, quę ſcilicet ſine iuſta cauſa conceditur a Prælato: ſic habet Apolog. pag. 13. num. 6. *verum eſt me ciborum nauſeam quadrageſimalium inſufficientem cauſam ſuppoſuiſſe pro diſpenſatione ad carnes, licèt forte ſſe in principio meæ Diſſertationis abuſum hunc diſſimulauerim.* pag. 15. num. 8. *negatur quod ſola nauſea ciborum quadrageſimalium ſit cauſa iuſta, & adæquata non ſolùm ad edendos cibos prohibitos, ſed etiam ad non ieiunandum.* pag. 18. n. 12. *manifeſtum eſt nullam adeſſe cauſam*

causam, vt suppono. ibid. infra. *non adest causa nec probabilis, nec dubia.* pag. 27. num. 29. *Dispensatio sub generalibus verbis impropriè, & cum causa se non extendente ad omnes partes conceditur.* pag. 31. n. 29. *Semper supposui pro illis diebus nõ adesse causam sufficientem a principio.* Hanc autem dispensationẽ sine iusta causa concessam dicit se appellasse legitimam, quia est a legitimo Superiore concessa; sic habet Apolog. pag. 13. num. 7.

8 Et hic eam ipsius fuisse mentem ex dissertatione conijcere non potui, tum quia terminus *legitima* nimis abest a significanda qualitate dispensationis, quæ ex defectu iustæ causæ illegitima, & nulla est; tùm quia in tota dissertatione & presertim num. 16. cum millies repetijsset: *Inferiorem Summo Pontifice, etiam Episcopum non posse dispensare in lege Ecclesiasticæ ieiunij sine iusta causa, & vltra necessitatis exigentiam.* non potui credere quòd Tonellius hunc putaret Superiorem legitimum, quem tam claris verbis carere potestate dispensandi affirmauit; si enim deerat sufficiens causa: si deerat in dispensante potestas, deerant omnia, quæ ad legitimam dispensationem sunt necessaria: Ex quo igitur capite potuit ea dispensatio supponi legitima? Ipse sanè audiens in eius propositione terminũ *legitima*; nec debui, nec potui supponere sermonem esse de dispensatione sine causa,

& sine potestate in concedente, sed de concessa ex iusta causa & ab habente potestatem. Iam verò cum ex hactenus relatis eius intentio fuerit de dispensatione realiter partiali, & concessa sine iusta causa a Prælato dispensare non potente, nos autem semper de dispensatione locuti simus, quã eius verba sonabant, videlicet de realiter generali, verè legitima, seu ex iusta causa, ab habente potestatem concessa, concludit se nobiscum sentire, quod generaliter, legitimè & absolutè dispensatus a Quadragesima non teneatur ferijs 6. & Sabathis ieiunare: Accipiantur eius verba Apolog. pag. 45. n. 48. *Dispensatus in Quadragesima etiam ab Inferiore sub generalibus verbis, & ex causa generali se extendente ad omnes dies, non tenetur ieiunare etiam fer. 6. & Sabatho. Cui propositioni & nos libenter subscribimus, quia est conformis veræ, commun que DD. sententiæ.* Hoc est prorsus quod euincendum susceperamus; nam si proponatur quæstio; An dispensatus partialiter, & sine sufficienti causa tàm ad edendos cibos prohibitos, quàm ad nõ ieiunandum in Quadragesima, ut asserit se intelligere Tonellius Apolog. pag. 15. n. 8. & alijs locis citatis &c. nullus omninò erit, qui statim nõ respondeat, sic dispensatum teneri ieiunare non modò ferijs 6. & Sabathis, sed quibusuis alijs ferijs eiusdem. At qui verè generaliter, legitimè, & absolutè dispensati sunt, procul

du-

dubio nulla die ieiunij lege teneri dicendi sunt, quod fuit intentum nostrum, qui non iudicantes de internis, sed terminorum vim inspicientes, illud rectè probauimus, & conclusimus; cui & se iam subscribere libenti animo fatetur apologiæ scriptor.

9 Ex his omnibus tam clara confessione firmatis unicuique integrum est cognoscere, me Diuina fauente gratia nec deceptũ, nec alios decepisse (ut ab irato nimis rigidè fuerat obiectum) sed sinceram doctrinã purgatis propinasse cordibus; nec cuiquam iustæ querelæ causas præbuisse, dum non in deterius, sed iuxta Dialectica præcepta, Philosophicos mores, & Theologicas sanctiones propositã in suis terminis difficultatem accepi, enucleaui, resolui. Quoniã verò licet manus dederit aduersarius, ira reluctante indignabundus hoc fecit, nonnullas ingerere conatus difficultates est, quibus satisfacere iam non erit inutile.

§. III.

10 Difficultas prima proponitur. Addita sunt in dissertationis propositione verba *vt moris est*, quia Florentiæ abusus irrepsit, ut generaliter, & absolutè dispensentur æque mediocriter, atque extremè indigentes, & tamen omnibus istis non potest idẽ indistinctè concedi, alioquin sicuti extremè indigens ex ui generalis dispensationis potest vti carnibus feria 6. Sabatho, ità

poteſt iiſdem uti non indigens, quod eſt ab-ſurdum. ſic Apolog. n. 1.

11 Reſp. 1. In citata propoſitione dictū eſt *An illo, qui cum legitima, eaq; abſoluta, vt moris eſt, licentia &c.* coniunctum videlicet eſt, ſeu qualificatum illud, *vt moris eſt*, per verbum *legitima* initio poſitum; verbum autem initio poſitum eſt certa ſenſus demonſtratio, qua quælibet res dictionis attributione exprimitur *Rub. ff. de verbor. ſignificat.* & Pereyr. in append. ad elucid. num. 1932. Cum ergo legitimum ſit, *quod ſecundum leges factum eſt*, *Pereyr. Elucid. lib. 1. n. 379.* abuſus verò quod contra leges factum eſt *Cap. cum venerabilis de conſuet. cap. cum decorum de vita, & honeſt. Cler.* non poterat illud *vt moris eſt* qualificatum termino *legitima* accipi & intelligi pro abuſu; ſi enim quis accepiſſet illud *vt moris eſt* pro abuſu, ſenſus præfatæ propoſitionis fuiſſet hic, ſcilicet, *An ille, qui cum diſpēſatione* (legitima) *ſecundum leges* [ut moris eſt) *contra leges facta &c.* Quid hoc abſurdius? Quis diſpenſationem factam ſecundum leges eſſe ſimul contra leges fingere poſſit? Is duntaxat qui ſine lege diſcurrit; nam quicumque benè differendi legibus audiens eſt, ità deſipere non poteſt. Perperam ergo redarguor quòd non aduertiſſe fingam verba *vt moris eſt.* Aduerti, conſideraui: utinam abſque nimia rei litterariæ iniuria donare aptiori ſignificatione verba illa potuiſſem!

12 Resp. 2. Dato (quod concedi non potest) verba illa *vt moris est* abusum significare: vel abusus iste ab omnibus, vel a nonnullis dispensationem petentibus committitur. Non ab omnibus, imò nec a pluribus, quandam enim iniquitatem saperet, nec sine grauissima populorum iniuria supponi posset omnes esse tam perditæ conscientiæ, vt sine causa dispensationem petant, ut Medici omnes annuant, vt Prælati assentiantur, & tanto cooperentur crimini, quod si omnium, vel plurimum esset, profectò nec a Medicis, nec a Prælatis ignoratum fuisset, ac proinde ipsi quoque rei eiusdem extarent. Et aliunde scimus ex ijs qui dispensantur, non paucos esse timoratę conscientiæ homines, & ipsorũ plures exemplo probitatis cæteris præire. Ad aliquos ergò duntaxat abusus iste reducitur, qui fortasse sine iusta causa dispensari curant; Si igitur ab aliquibus tantùm committitur, non debuit formari uniuersaliter propositio statuens quòd legitimè, generaliter, & absolutè dispensati teneantur ieiunare ferijs 6. & Sabathis, sed erat particulatiter efferenda, de aliquibus, qui fortasse sine iusta causa dispensantur: Sicuti nostris temporibus grassatur abusus, qui etiam antiquis irrepsit, quòd quidam ad Ecclesias non deuotionis gratia, sed ad Diuinas multiplicandas offensas conueniant, contra quos veterum PP. & præcipuæ Sancti

cti Ioannis Chrysostomi zelus inuehectus est de Ecclesiast. tom. 5. exclamantis: *Quid agis homo in Ecclesia stans? formas mulierum curiosè contemplaris? Non perhorrescis tanta iniuria templum Dei afficiens? Lupanar tibi videtur Ecclesia, vel forum?* Et nihilominus stante huiusmodi aliquorum hominũ abusu malè fieret propositio: *Generaliter & absolutè, vt moris est, conuenientes ad Ecclesiam peccant*; ergo pariter ex abusu, qui fortasse a paucis committitur in Quadragesimali dispensatione, non debuit fieri propositio *generaliter & absolutè, vt moris est dispensati peccant non ieiunando ferijs 6. & Sabathis*, sed debuit dici: *Peccant qui non generaliter, nec legitime dispensati sunt &c.* Et si qui sunt isti non erant obligandi bis in hebdomada, sed omnibus ferijs ad perfectam & totalem huius præcepi obseruantiã, nisi fortasse supponeretur bona fide procedere, in quo casu abusus esset materialis tantùm, & non formalis, & consequenter est certissimum apud omnes DD. non peccare, qui ipsum committunt.

13 Resp. 3. in forma, transeat antecedens, & nego ipsius sequelam, qua dicitur, quòd extreme indigens potest vti carnibus feria 6. & Sabatho ex ui generalis dispensationis; Primò, quia si concederetur, quòd extremè indigens sit dispensatus generaliter a Quadragesima, adhuc non esset verũ, quòd ex vi talis dispensationis posset co-

me-

medere carnes feria 6. & Sabatho; quia dispensatio generalis a Quadragesima non facit cessare nisi præceptum Quadragesimale; Cum ergò ferijs 6. & Sabathis prohibeatur esus carnium etiam alio præcepto, quod per dispensationem a Quadragesima non cessat, sed in sua remanet subsistentia, clarum est quod dispensatus a Quadragesima, quicumque sit, non potest ex vi talis dispensationis carnes comedere ferijs 6. & Sabathis. Si ergò extremè indigens comedit, ex alio capite, quàm ex dispensatione comedit, ut mox ostendam. Dixi si concederetur, quia est omninò falsum extremè indigentem dispensari; Imò adeò verum est non dispensari, ut non sit capax dispensationis. Ratio est, quia dispensationis capax non est qui non ligatur, nec ligari potest lege; cum enim dispensatio sit solutio a lege, manifestum est eum tantũ esse capacẽ solui, qui ligatus est, vel ligari potest. Solutus enim nec indiget, nec potest solui: sed extremè indigens est solutus a lege Quadragesimę ex vi, & natura ipsius extremę indigẽtię, seu pręcisę necessitatis, nec ligari lege potest, vt ex cõmuni DD. consensu notaui §. 4. n. 18. meæ Synopsis, & fatetur Apologiæ scriptor n. 14. per hæc verba; *Quasi ignorem eam* (necessitatem) *non indigere dispensatione*; ergò extremè indigens non est capax dispensationis; quare meritò negata est sequela hæc antecedentis: nam ex-

extremè

tremè indigentes,cum ratione suæ necessitatis sint soluti non modò a præcepto Quadragesimali, sed etiam ab alio, quod peculiariter afficit ferias 6. & Sabatha, comedunt carnes his diebus non ex ui dispensationis, sed ex vi necessitatis eos soluentis; atq; adeò nulla est paritas allata inter eos, & alios dispensatos. Ex his patet quod cũ certũ sit dispensationem generalem posse a Prælato alicui concedi; si nequit concedi extremè indigenti, quia eius incapàx est, remanet quòd concedi possit indigenti non extremè, sed mediocriter, quod est aliud punctum quod tangitur in præfata obiectione, in qua cum sine fundamento dicatur, mediocriter indigentibus non posse concedi generalem dispensationem, aliqua proindè ad huius rei veritatem demõstrandam hic addo.

14 Indigentia diuiditur a Doctoribus in grauem, leuem, & mediocrem. Grauis est eadem ac necessitas, quæ videlicèt cum graui damno, vel cum eius periculo est certò & euidenter coniuncta. Leuis est quæ nec euidenter, nec probabiliter cum graui damno, aut eius periculo coniuncta est. Mediocris est, quæ non euidenter, sed probabiliter, vel saltem dubiè (dubio tamen prudenti) cum graui damno, aut eius periculo coniunctæ est. Grauis eximit per se a præcepto, & ut nuper dixi, laborans tali indigentia non est capax dispensari, sed ad

sum-

ſummum poteſt Superior declarare ipſum non teneri vinculo præcepti. Leuis cenſetur eadem ac nulla, iuxta illud, *Parum pro nihilo reputatur. Iauol. l. 102. de reg. iur.* ac proindè inſufficiens omninò eſt ad diſpenſationem, cum ſit contra leges, & prorſus irrationabile, abſque ulla cauſa quemquam a graui obligatione eximere, Supereſt propterea indigentia mediocris, quæ ſola præbet ſufficiens diſpenſandi fundamentum; & quia hæc habet quandam latitudinem, ideſt poteſt eſſe cum maiori, vel minori probabilitate, aut dubio grauis damni, fit ut iudicio prudentis Medici & Prælati relinquatur determinare de qualitate huius indigẽtiæ, & teſtimonium, gratiamque diſpenſationis vel generalis, vel partialis exhibere, prout eorum prudentia iudicauerit; quare diſpenſatio quælibet ſiuè generalis, ſiuè partialis dari ſolum poſſunt propter mediocrẽ indigentiam: Generalis, attenta magna probabilitate, vel magno dubio grauis damni: Partialis, attenta minori probabilitate, vel magno dubio grauis dãni. Hoc totũ ex certa & communis DD. ſententia firmat Tamburin. lib. 4. in decal. cap. 5 n. 60. dicens; *Si cauſa eſt magna, & grauis, non indigemus diſpenſatione: Si nulla: non poteſt ea licitè dari*; remanet ergò vt cauſa mediocris ſit, ad hoc ut Prælatus vel generaliter, vel partialiter diſpenſare poſſit. Videat hic amicus Lector, quo fundamento impugna-

gna-

gnata sit ab Apologiæ scriptore dispensatio ex mediocri causa.

15 Quæret hic aliquis: quomodo ex causa dubia possit quis eximi ab obligatione certa?

16 Resp. Non eximi quidem ex vi & natura ipsius causę, sed ex benignitate Sanctę Matris Ecclesiæ, quæ supposita causa saltē dubia iudicat adesse sufficiens & rationabile motiuum dispensandi, ac propterea dispensatio *Cap. licet canon. de elect. in 6. Gratia, Indulgentia, & Misericordia* appellatur, quia videlicet causa, propter quam conceditur, non est de se sufficiens ad liberandum hominem ab obligatione præcepti, sed solùm præbet Prælato rationabile fundamentum largiēdi exemptionem prædictam ut gratiam, de cuius natura est, non commensurari merito, sed ipsum excedere, alioquin non esset gratia, sed iustitia, ut ait Apostolus ad Rom. 11. ac proinde: *Potestas ad dispensandum est latè interpretanda, nisi sit in damnum tertij.* Alloz. verb. *Dispensatio sect. 4. n. 9. Molin. to. de Iust. tr. 2. disp. 173.*, quibus se conformant DD., qui dicunt, Prę-latum, præsertim in materia ieiunij, non debere esse scrupulosum, nec rem in subditi conscientiam reijcere, tum quia in dispensando non exercet munus Iudicis, & rigorem iustitiæ, sed gratias Ecclesiæ distribuit; tùm quia non debet rigore nimio, & scrupulis exponere se periculo grauiter nocen-

di

di alienæ sanitati, cum magno cuius detrimento non intendit Ecclesia Fideles obligare. Hinc fit quòd licèt prægnantes, & lactantes eximantur a lege ieiunij ratione grauis damni, quod sibi, vel infantulis timent, si nihilominus aliquæ ipsarum ità robustæ sint, ut de tali damno non dubitetur, si ieiunent; possintque unica refectione se ipsas & infantulum sustentare, non sint propterea ad ieiunium obligatæ, sed ab ipso absolutè sint immunes; ità ex comm. DD. firmat Pasqualig. *decis.* 286. *n.* 5. citans 57. Theologos. Similiter adolescentes ante vigesimum primum annum; & senes post sexagesimum licèt hi eximantur a ieiunio propter debilitatem virium, illis propter damnum, quod imminere creditur eorum stabiliendæ complexioni, si nihilominus eorum aliqui sint ità robusti, ut commodè, & absque notabili damno ieiunare possint, adhuc eos ad ieiunium minimè teneri affirmant comm. DD. & specialiter Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 4. Valent. *to.* 3. *sum. disp.* 9. *punct.* 5 Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 2. *n.* 23. Machad. *tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 4. *tr.* 3. *docum.* 9. *n.* 3. Angles *in florib. q.* 6. *de ieiun. diffic.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 32. *n.* 17. Sa *verb. Ieiunium n.* 9. Portel. *in dub. regular. verbo ieiunium n.* 5. Ortiz *c.* 19. *sum. n.* 11, Molfes. *tom.* 1. *summ. tr.* 10. *c.* 4. *n.* 37. Granad. 1. 2. *contr.* 7. *tr.* 3. *part.* 1. *disp.* 6. *sect.* 5. *n.* 39.

-111 Sua-

Suarez *lib. 7. enchirid. caſ. conſcient. verbo Ieiunium.* Lalmas *par. 3. Methodi c. 5. §. 20.* Diana *part. 1. tr. 9. de Ieiunio reſol. 20.* Io: Sanchez *in ſelect. de Sacram. diſp. 54. n. 8.* Ludouicus a S. Ioanne *p. 1. ſum. tr. de ieiun. art. 6.* Naldus *verbo tempus n. 20.* Perez *p. 1. ſumm. Theol. prac. 3. §. de ieiunio.* Ghilinus *in ſumm. verbo ieiunium.* Trullench. *lib. 3. in decal. c. 2. dub. 7. n. 3.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 12. q. 5. n. 7.* Gratian. *in diſcept. forenſ. cap. 805. n. 22.* Velaſcus *de priuileg. miſerab. q. 18. n. 72.* Perez de Lara *in comp. vitæ hominis c. 31. n. 50.* Narbona *in Annal. iur. anno 60. q. 2. n. 5.* Gordon. *l. 6. theol. moral. q. 18. n. 11.* Henriquez *in Summ. Sect. 16. q. 23.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de præcept. Eccleſ. lib. 3. c. 6. n. 97.* Martin. a S. Ioſeph. *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 10. de ieiun. n. 2.* Mendus *in Bulla Cruciat. diſp. 13. c. 1. n. 2.* Leander *in præcept. Eccleſ. tr. 5. diſp. 8. q. 17.* Paſqualig. *deciſ. 256. n. 6* refertque Lalmas loco nuper cit., ſic declaraſſe viuę vocis oraculo Sanctiſſimũ Põtificẽ Pium V. Quę doctrina de benignitate piæ Matris Eccleſiæ habet locum non modò in ijs, erga quos per diſpẽſationem ſuos ipſa fauores exhibet ſed etiam in illis, qui ex ipſa cauſæ, ſeù indigentiæ natura eximuntur, quales ſunt infirmi, qui quamuis ad menſuram infirmitatis liberentur ab onere præcepti de ieiunio, redeatq; in ipſis obligatio ieiunandi ceſſante infirmitate,

ni-

nihilominus non restringitur eorum exemptio, nec coarctatur ita intra limites indigentiæ, vt aliquid plus eis Ecclesiastica suauitas non indulgeat; quare etiamsi ieiunium ipsis non noceat, imò etiamsi vtile sit ad eorum ægritudinem subleuandam, imò quamuis præcipiatur ipsis a Medico, tanquam quid necessarium ad sanitatem recuperandam, non tenentur, nec obligantur ab Ecclesia ieiunare, & non ieiunando non peccant contra Ecclesiæ præceptum, ità Riccard. *in 4. dist. 15. art. 3. q. 4.* Sanchez *lib. 5. consil. moral. c. 1. dub. 14. n. 2.* Roccaful. *in praxi n. 6. de præcept. Eccles. lib. 3. cap. 7. n. 11.* Pasqualig. *decis. 262. n. 6.* Leãder de Murcia *in c. 3. regul D. Francisc. c. 2. §. 2.* Martin. a S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 12. de ieiun. n. 2.* Leander *in præcept. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 26. & alij.*

57 Instat Apologiæ scriptor *n. 14.* Certum est apud omnes, quòd quando quis indiget dispensatione pro aliquibus diebus, non potest ab Inferiore concedi pro singulis, Pasqualig. *decis. 463.* & dispẽsatio Inferioris coarctanda est intra limites indigentiæ *n. 13. in fine.*

58 Resp. Vtinam huius hominis bona fides sicut apud me me miserationem, ita apud alios veniam nanciscatur! Citat Pasqualigum pro se *n. 1. & 3. decis. 463.* cum istis numeris, sicut & in secundo eiusdem decisionis meras proponat Author ille obie-

ctio-

ctiones, quas deindè *n.6.* & *7.* soluit; Quare tanquam Pasqualigi authoritate firmatum adducitur in Apologia, quod Pasqualigi est authoritate, & rationibus confutatum. Imò tales obiectiones nec in nostris terminis, nec de Prælato dispensante quicquam tangunt. In ea igitur decisione *n.1.2* & *3.* obijcit sibimetipsi doctissimus Author aliquorum opinionem dicentium eandem esse rationem de dispensatione, ac de licentia Medici, atque adeo sicut Medicus, quando deest Superior, qui dispenset, non potest dare licentiam infirmo edendi carnes nisi ad mensuram necessitatis, adeout si necessariæ sint pro prandio, nequeat concedere pro cœna, ita cum quis dispensatur, nō potest comedere nisi quantum exigit necessitas, qua cessante iudicandum est cessare causam finalem dispensationis; sicut cessat causa licentiæ Medici cessante necessitate. Ad hæc respondet Pasqualigus nn. sequentibus usque ad totum septimum, ista non rectè applicari, videlicet esse nimis diuersa inter se licentiam Medici & dispensationem Superioris, nam licentia Medici est pura declaratio præsentis, & actualis necessitatis, quam habat infirmus comedendi carnes, quæ necessitas si non adsit, & Medicus testetur, seu declaret adesse, iam mentitur, & cum infirmus non ex licentia Medici, sed ex necessitate possit carnes comedere, deficiente necessitate iam comedere non potest, & si comedat, excusabitur bo-

na fide, sed Medicus peccabit, si cognoscens non adesse necessitatem, dixerit adesse. At dispensatio non est declaratio existentis necessitatis, sed est exemptio gratiosa ab obligatione legis, quæ licèt requirat iustam causam, ad hoc vt licitè à Prælato & validè concedatur, non requirit tamen necessitatem actualem, vt requirit Medici licentia, nec a necessitate mensuratur, atq; adeò dum sit ex iusta causa, etiam deficiête necessitate suam vim habet, ac propterea si dispensatus indigeat carnibus pro prandio & non pro cęna, adhuc eas potest in cœna comedere; si indigeat vitulina, poterit etiam comedere porcinam, qua non indiget; hæc sunt eius verba n. 4. *Licèt hæc vera sint, non videntur tamen rectè applicari, quia aliud est causa finalis concedêdi carnes, & aliud necessitas edendi; nam causa finalis est illa, quæ mouet ad concedendum; necessitas autem oritur ex indigentia nutritionis, & proindè fieri potest, quòd durante causa finali cesset necessitas, vt si quis simpliciter indigeat carnibus, sed possit sustentari per vnicam comestionem, nō solū carnis, sed etiā aliorū ciborū, tūc enim necessitas nō solū non exigit plures comestiones carnis, sed etiam aliorum ciborum, & tamen potest durare causa finalis edendi carnes*, & n. 5. immediate subdit: *Itaque tenendum est, quod possit edere quoties libuerit.* & n. 6. confutans ea, quæ Apologiæ scriptor vt certa apud omnes attulit confundendo obiectiones cum opinio-

ne Authoris, inquit. *Ad 1. dispensationem factam ab Inferiori non extendi quidem vltra causam finalem &c. Posse tamen extendi vltra necessitatem, quia non mensuratur iuxtà necessitatem, sed ex motiuo causa finalis tollit obligationem legis, quam cum tollat absolutè, quãdiù durat finalis causa, remanet in libertate illius, cui carnes conceduntur, quantitas, & multiplicatio comestionum.*

19 Septuagies septies igitur volens, vt habet *Apolog. n.* 15. coarctare dispensationem intra limites indigentiæ caueat ne septuagies septies apud doctos minus bene, quàm par est, audiat. Allata eruditissimi Pasqualigi Doctrina refellit abundè, quod nimis audacter dictum est *Dissertat. n.* 3. *Dispensatus, vt comedat carnes, non potest plures in die comedere, si ei vnica comestio sufficiat; quod debent concedere etiam contrarij si coharenter loqui velint; vel rationem disparitatis afferre: & nulla videtur afferri posse.* Nam apud intelligentem quid interfit inter causam dispensationis, & necessitatem manifestissima est disparitatis ratio.

20 Hic obiter ad refellendum, quod *Apolog. n.* 46. in me comminiscitur, videlicèt, quod imperitior puro Grammatico ignorauerim ea, quæ per parenthesim ex aliorum sententia referuntur, neque negari neque affirmari, atque adeo quod noluerim intelligere ipsum non esse in sententia quod Quadragesimale ieiunium sit de

iure Diuino; aduerto, quod non in ſcholis abecedariorum, ſed Iuriſperitorum, Theologorumque edoctus rationem, & modum procedendi in opinionibus, & ſententijs, noui, quòd quando Doctor refert opinionē aliquam, & eius efficacitatem inculcat, conaturque vt ipſa appareat, cum de oppoſita opinione hoc non præſtet, cenſendus eſt approbare opinionem priori loco cum illis inculcationibus relatam: ità ex Iuriſperitis Farinac. *in repert. iudicial. q.* 14. *n.* 41. *citans* Coratium, Azoguid. *lib.* 3. *de com. opin. cap.* 13. *n.* 3. Riminald. *lib.* 1. *conſil.* 7. *n.* 43. ex Theologis Paſqualig. *deciſ.* 7. *n.* 3. *&* 4. dicens, quòd quando Doctor primo loco refert opinionem præfato modo, & vltimo loco refert oppoſitum cum particulis, *quamuis alij oppoſitum ſentiant*, vel *alij contrarium ſentiunt*; & huiuſmodi alijs loquendi modis ſignificat poſteriorem opinionem vt prorſus alienam, & non ſuam referre, & ſe priorem ſententiam amplecti. Cum ergo Toriellius *n.* 33. Diſſertationis retuliſſet primo loco opinionem docētem, ieiunium Quadrageſimale eſſe de iure Diuino, & eius efficacitatem inculcaſſet, dicendo: *Cuius obſeruantiam ratione ieiunij eſſe de iure Diuino, ratione tēporis vſſe ex traditione Apoſtolorū per multos Canones, & dicta SS. PP. probant Martinus Aiala &c.* Sententiam verò contrariam retuliſſet ſecundo loco ſatis ieiunè, dicendo duntaxat; *Alij tamen*

contrarium sentientibus, coactus ego sum credere ipsum priori adhærere opinioni, ne a Iurisperitorum, Theologorumque doctrina discederem.

21 Instat vlterius *Apolog. n. 16.* Affirmari potest sine scrupulo Inferiorem in dispẽsando nullam aliam causam posse attendere nisi vnicam indigentiam postulantis.

22 Resp. Ab eo qui cæteros omnes errore, & ignorantia duci putaret, se verò ad excutiendas obductas illis tenebras natum iactet, posset id sine scrupulo affirmari. A me tamen puro Grammatico inferiori non potest id absque scrupulo concedi. Noui etenim præter plurimas alias causas, quas passim recensent DD. Iustitiam, Pietatem, & Charitatem erga proximos non modò posse attendi, sed de facto accipi pro legitimis causis, ad hoc vt Inferior dispenset in materia ieiunij Quadragesimalis. Sic si Coniux nec patiatur, nec timeat sibi graue damnum a ieiunio, sed solùm fiat per illud reddendo coniugali debito inepta, postulant iustitia tùm naturalis, tùm Diuina, vt dispensari possit a ieiunio, ne alter iure suo priuatur. Nauar. *cap. 21. n. 16.* Fumus *verb. ieiunium n. 4.* Medin. *C. de ieiun. q. de ijs qui ad ieiun.* Caiet. *in summ. v. ieiunium cap. 3.* Sà *verbo ieiunium n. 9* Graff. *lib. 2. decis. aur. cap. 37. n. 52.* Philiarc. *de offic. Sacerd. to. 1. 2. par. lib. 3. cap. 15.* Fagundez *de 4. præcept. Eccl. lib. 1. cap. 8. n. 18.* Lessius *lib. 4. cap.*

4. *cap.* 2. *n.* 44. Bonaccin. *disp. vlt. de præcept. Eccl. q.* 1. *punct. vlt. n.* 14. Si iurgia, suspiciones, aut amoris diminutio ab vxore timeatur in viro, suadet Pietas rationabilē adesse dispensandi causam. Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 3. *n.* 3. Azor. 1. *p. q.* 18. Sancius *in select. disp.* 54. *n.* 26. Layman. *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 4. Pasqualig. *decis.* 282. Leander *de ieiun. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 50. Concionatores, si nullum sint a ieiunio passuri detrimentum, idemque valet de publicis scientiarum lectoribus, sed solùm impediendi sint a munere concionandi, vel legendi cum graui aliorum iactura, iustam habent ex charitate fraterna causam dispensationis petendæ. Pasqualig. *decis.* 326. Leander *loc. cit. q.* 109. & communis DD., vt nihil repetam da lactantibus, & prægnantibus, de quibus supra. Non ergò attendenda sola postulantis indigentia est in dispensando, sed etiam aliæ causę prudentis arbitrio considerandę. Vnum hic addo, causam scilicèt dispensandi non esse tantùm præsentem vel postulantis, vel alterius indigentiam &c. sed etiam probabilem timorem, vel rationabile dubium damni futuri; fieri enim potest, vt quis in præsenti firmis polleat viribus, sed timeat sibi probabile damnum graue futurum a Quadragesimali ieiunio, hic habet rationabilem dispensationis obtinēdæ causam, sic ex comm. Doct. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 32. *n.* 17. *dicens*; *Nec enim ieiunium*

tium soluere licet attenta solâ præsenti necessitate, sed etiam quando in posterum lapsus probabiliter timetur. Quem timorem cum in suæ Dissertationis propositione apposuerit Tonellius dicens; *ideoque ab eis notabile timet nocumentum*; non apparet qua coherentia potuerit *Apolog. n.* 12. dicere; nec dubiam, nec probabilem adesse dispensandi causã.

§. IV.

23 Difficultas secunda proponitur. Argumentum allatum n. 11. Synopsis nimis probat, nam si quod ibi dicitur verum esset, dispensatus in Quadragesima ad oua, & lacticinia tantum, nulla die teneretur ieiunare ob rationem prædictam, quia non potest ieiunare ieiunio Quadragesimali.

24 Resp. Nego sequelam. Ratio est quia dispensatus ad oua, & lacticinia tantùm, cum partialiter dispensetur, remanet obligatus ad aliqua ex vi præcepti Quadragesimalis, quæ propterea Quadragesimalia sunt, etiamsi cum esu ouorum, & lacticinorum coniungantur; At dispensatus generaliter, & absolutè a Quadragesima eximitur totaliter a præcepto, quod proinde respectu dispensati amplius non est, ac propterea si dispensatus ieiunet, uel a carnibus abstineat, hæc Quadragesimalia non sunt, quia non ex vi, & influxu Quadragesimalis præcepti, sed ex alio capite procedunt, scilicet vel ex alio præcepto, vt in quatuor temporibus, & vigil a S. Matthiæ, vel ex deuotione, &c. Ad clarissimam hu-

ius responsionis intelligentiam scire debet in Dialecticis parum versatus, quòd *Quadragesimale* est paronymum, seu denominatiuum, quod scilicet nomen & naturam a Quadragesima desumit. Quotiescnmque autem cessat, seu desinit esse id, a quo paronymum desumitur, statim & ipsum paronymum cessat; sic e. g. quia album ab albedine, diues a diuitijs desumuntur, si cesset in aliquo albedo, & diuitiæ, statim nec illud album, nec diues ampliùs est. Cum ergò ieiunium Quadragesimale sit paronymum a *Quadragesima* dictum, si cesset hæc, ieiunium amplius Quadragesimale non est: Cum ergò per generalem, legitimam, & absolutam dispensationem cesset in dispensato Quadragesima, rectè, & concludenter probat argumentum, quod si ieiunet, non ieiunabit ieiunio Quadragesimali. Nec etiã ieiunabit ieiunio alterius præcepti, cum nullum aliud præceptum sit assignabile pro ferijs 6. & Sabathis; ergo aptissimè institutum est dilemma, & conclusum, tale ieiunium nec fore Quadragesimale, nec non Quadragesimale, seu alterius præcepti. Quandò autem dixi, quod si teneretur dispensatus noster ieiunare ieiunio Quadragesimali, non posset comedere oua, & lacticinia, quæ tamen ipsi a Dissertatore conceduntur, ideò hoc dixi, vt præcluderem aditum tergiuersationi, qua Dissertatatur contendebat dispensationem genera-

 lem

lem nō ſe extendere ad ferias 6. & Sabatha; oſtendi ſcilicet, conceſſo eſu ouorum, & lacticiniorum prędictis diebus manifeſtum fieri, etiam ad eos dies diſpenſationem extendi, non enim ex alio capite poteſt tunc oua, & lacticinia comedere diſpenſatus, niſi ex eo, quòd etiam eos dies diſpenſatio comprehendit, ac proinde etiam illis diebus facit ceſſare Quadrageſimam; & conſequenter quæcumque abſtinentia in illis fiat, Quadrageſimalis non eſt.

§ V,

25 Difficultas tertia proponitur contra argumentum a conſuetudine ductum. Probari nequit Summos Pontifices nouiſſe talē conſuetudinem, quia neſciunt quid in priuatis domibus fiat; & quando probaretur, non poſſet argui eos potiùs voluntarie conſenſiſſe, quàm toleraſſe, cum ſola tolerantia non ſufficiat ad conſuetudinem inducendam.

26 Reſp. Nemo præſumitur neſcire, quod nec debet, nec poteſt ignorare. Summi Pontifices non debent ignorare quid circa Diuina, & Eccleſiaſtica præcepta faciat communiter Chriſtianus Populus, ad eum enim dignitatis apicem euehuntur, non vt deſides vitam in voluptatibus agant, ſed ut ſolertia virorum Principū digna ex eo ſublimi faſtigio, veluti è ſacratiſſima ſpecula, non opera modò, ſed conſilia, & quan-

tum

tum fieri potest, cordium arcana ad Christiani Gregis vtilitatem rimentur; quod vti prosperè assequantur, vti solent Episcoporum opera, qui eos identidem certiores de suæ quisque Diœcesis statu faciunt; ac proinde a vero prorsus abhorret, ipsos de more non ieiunandi, quem seruant ferijs 6 & Sabathis dispensati, aliquid ignorasse. Non possunt etiam ignorare, quia & ipsi priuatis in domibus nati, & educati antequam ad vniuersale Ecclesiæ regimen admouerentur, omnes Christianæ Reipublicę ordines, munera, mores, & negotia pœnè omnia plures norunt, plurimi etiam pertractarunt; quare morem non Florentiæ duntaxat, sed etiam Romæ, & in Europa vniuersa vigentem, quod generaliter a Quadragesima dispensati non ieiunent ferijs 6. & Sabathis ignorasse nequeunt. Eorum autem taciturnitatem circa hoc non esse meram tolerantiam, sed tacitum consensum iam ostendo. Tolerantia duplex est, alia necessaria, alia voluntaria. Necessaria dicitur, cum Superior sciens tacet in re, in qua dispensare non potest: & hoc in duplici casu contingit: Primò quando nequit; Secundò quando non expedit, vt delinquētes corrigat, & puniat; Sic tolerantur in Gallia, & Germania hæretici, in Italia Meretrices, & Iudæi, quia illi corrigi, & puniri non possunt, hæ verò, & Iudæi, vt puniantur, bono communi non expedit, se-

querétur enī mala lōgè maiora in Christiana Republica, si Meretrices punirētur, & eicerētur Iudæi; hæresis autem, Iudaismus, & Meretriciū sunt res, in quibus Summus Pontifex dispensare non potest. De hac tolerantia, quam Theologi, Canonistæ, & Iurisperiti simplicem appellant habet Textus 23. q. 3. *cap. fin. Tolcramus nonnullos, quos corrigere, vel punire non possumus*. Hæc quia nec explicitè, nec implicitè Superioris voluntatem continet, cum nemo præsumatur velle quod velle nequit, non est argumentum taciti consensus Superioris, ac proindè insufficiens est ad consuetudinem firmandam, cum ad hoc vt firmetur consuetudo debeat virtualiter saltem & implicitè Superioris consensum inuoluere. Voluntaria est cum Superior tacet sciens in re, in qua dispensare potest: sic e.g. cum per Canones pœnitentiales statutum sit, vt Presbytero fornicanti decennalis pœnitentia iniungatur. 82. *dist. Presbyter si fornicationem*. Vt Laico contrahenti cum Muliere alteri desponsata, ipsa dimissa, ieiunium 40. dierum in pane, & aqua, & septem anni pœnitentiæ imponantur *extra. de spons. duo accepistis*. Vt mensuras in falsa mensura ieiunet 30. diebus in pane, & aqua. *extra. de contrahen. emp. vt mensura*, & tacentibus Summis Pontificibus iam vsu uenerit, vt tales pœnæ non imponantur delinquentibus, cum hæc sit res, in qua possunt Summi Pō-
tifi-

tifices dispensare, ipsorum tolerantia signum est taciti ipsorum consensus, & consuetudinem firmat. *In his in quibus Papa potest dispensare, & scit, & tolerat, & non contradicit, videtur consuetudo posse introduci.* Fum. *in Summ.* 11. *consuetudo* 55. *citans* D. Tom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. D. Antonin. *in c. fin.* & *alios, quandò Princeps scit consuetudinem, & dissimulat; seu non contradicit, dum commodè potest contradicere consentit* Bonaccin. *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 36. *Hoc est expresse consentire, præsentem esse, & non contradicere.* Felin. *in c. cum in iure, de offic. deleg. col.* 5. *in fin.* Cum ergo versemur in materia Quadragesimalis obseruantiæ, in qua dispensare potest Pontifex, & sciens hanc consuetudinem vel in ipsa vrbe vigere, vt dispensati generaliter non ieiunet ferijs 6, & Sabathis, non reclamet, nec contradicat, vt facilè posset, nec per sæcula ferè 17. ab Orbe recreato quisquam reclamauerit, sequitur manifestissimè, hanc eius taciturnitatem non esse simplicem tolerantiam, sed voluntariam, ac proindè cōsuetudinem legitimè firmare, ideoque validissimum esse nostrum argumentum ab ipsa ductum.

§. VI.

27 Instat *Apolog. n.* 50. Multa preterijsti in meis dissertationibus, super quibus ne vnum quidem verbum fecisti, fortasse quia

cognoſcens te non poſſe ijs adæquatè reſpondere. ſatius duxiſti conniuere.

28 Reſp. Nec tibi quidquam profutura, nec vllam lectori præbitura voluptatem præſenſi, vbi a me fuiſſent, vt par erat, expoſita; & propterea fraterna erga te charitate, debita erga lectorem reuerentia operire ſilentio malui, quod abſque tua ipſius iactura palam facere nequiuiſſem; non enim de te victoriam, ſed contra mendacium veritatem quærebam. Quando autē cupis a me non ſileri, tibi morem geram, quædam ex illis afferēdo, vt planè tibi experimēto cōpertū ſit, lōge melius futurū fuiſſe me conticeſcere, quam de illis diſſerere.

29 Citas declarationem Sacræ Congregationis allatam ad Nicolio in Floſculis 8. Verbo Quadrageſima, n. pr. dicentis *Epiſcopus in ſua Diœceſi concedere debet facultatem etiam Vicarijs foraneis, & Archipreſbyteris, vt de conſilio Medicorum impertiri poſſint indigentibus licentiam veſcendi cibi vetitis.* Dic quæſo, quomodo ex tali declaratione deducitur: *ergò diſpenſatus generaliter, legitimè, & abſolutè a Quadrageſima tenetur ſub mortali ieiunare ferijs 6. & Sabathis?* Et ſi hoc non deducitur, ad quid pro te, pro tua ſententia talis declaratio? Conſulta Sacra Congregatio, an deberent Epiſcopi ità rigorosè ſe gerere in materia diſpenſandi a Quadrageſima, vt ſibi tantum facultatem reſeruarent, adeòque etiam rurales homi-

nes

nes ad ipsos cogerentur pro dispensatione obtinenda conuenire, respondit per verba prædicta; debere etiam Vicarijs foraneis, & Archipresbyteris eam concedere, quia cū agatur de sanitatis detrimento, censuit non esse propter nimiam Episcoporum auctoritatem, & zelum exponendos homines periculo grauis damni, quod facilè subirent rustici, si aliqua indigentia laborantes deberent Episcopum adire. Vides ergò quod præfata declaratio nihil aliud ostendit, nisi benignitatem S. Matris Ecclesiæ, quæ Prælatos in hac materia non vult scrupulosos, & nimio zelo laborantes, sed adeò benignos exigit, vt rusticos incōmodo veniendi ad vrbem pro obtinenda dispensatione non exponant.

30 Citas Pasqualigum *decis.* 383, 462. & 463. quasi dicentem. Dispensationem vltra limites indigentiæ ab Inferiore concessam esse inualidam. In illo istorum locorum hoc dicit, sed solum *decis.* 383. *n.* 4. 5 & 6. affirmat Inferiorem non posse dispensare sine causa: hæc sunt eius verba *n.* 4. *Ex hoc tamen sequitur, quòd talis dispensatio, non possit fieri ab Episcopo absque causa, & n.* 6. *Ex quo fit, quòd dispensatio facta sine causa inualida erit defectu potestatis.* Decis. 462. solùm dicit dispensatum ad carnes pro Quadragesima non posse illis vesci in quatuor temporibus Quadragesimæ. Decis. 463. quid dicat satis ostendi supra n. Quarè *limites in-*

digentia, & alia huiusmodi vocabula tua sunt, non Pasqualigi; *qui decis. 397. n.6.* inquit de dispensatione in ieiunio: Est Gratia. *cap. 1. de statu Monachor. in 6. cap. Postulasti de Cler. excommunic. cap. didici in fine 1. q.7. & cap. licet canon. de elect. in 6. & ideò impertiri debet non ex necessitate, sed ex benignitate.*

31 Citas *n. 44. Dissertat.* factum Alexandri III. qui Ludouico Iuniori obstricto ad rigorosa ieiunia in pœnitentiam suorũ delictorum parcè indulsit eius pœnitentiæ relaxationem. quid hoc ad rem nostram? Est fortasse recta argumentandi ratio: *Alexander rigorosè se gessit in minuenda Ludouico pœnitentia; ergo generaliter, legitimè, & absolutè dispensatus a Quadragesima tenetur ieiunare ferijs 6. & Sabathis?* At inquies rigor istius Pontificis docet multò magis rigorosos esse debere in dispensando Episcopos. Non rectè hoc dicitur; nam iste Pontifex uixit i js temporibus, quibus in prima, recenti obseruantia erant Canones pœnitentiales, qui modò per contrariam consuetudinem sunt abrogati, & propterea non est ex ijs quæ tũc fiebant, ad ea quæ nunc fiunt transferenda paritas, vt notaui supra *n. 26.* Addi posset ibi agi de pœnitentia Sacramentali, nostrum verò casum esse de ieiunio Quadragesimali; quæ sicut inter se maximè differunt, ità non fundant paritatem, & illationem, iuxta illud: *A diuersis non fit illatio.*

32

32 Citas Concilium Toletanum can. 9. decernens, quòd nemo pręsumat in Quadragesima edere carnes sub pœna excommunicationis, nisi necessitas postulet. Et Textum *in cap. Quadragesimæ* decernentem, ne soluatur ieiunium; nisi infirmitate cogente. Non erat opus ad Hispanię sanctiones recurrere, poteras citare nostrę Diœcesis Synodalia Decreta idem sub ijsdē pœnis, imò & vt casum reseruatum pręcipientia: Poteras citare morem Sanctę Ecclesię etiam nunc per Sāctę Fidei Quæsitores punientem vt suspectos de hęresi præsumentes in Quadragesima, & ser js 6 ac Sabathis edere cibos vetitos. Sed hęc casum nostrum nulla ratione tangunt; nos enim nō disputamus de pręsumētibus edere cibos vetitos sine infirmitate, vt loquūtur pręfati textus; sed de nō ieiunātibus quia sūt generaliter legitimè, & absolutè dispēsati a Quadragesima. Nemo propria authoritate potest, nisi sit necessitate coactus, edere cibos vetitos, aut nō ieiunare: sed si fuerit legitimè dispēsatus poterit sine scrupulo comedere cibos vetitos, aut non ieiunare, prout dispensatio concesserit.

33 . Citas Theodorum Balsamonem dicētem non esse in Quadragesima cibos vetitos comedendos, licèt quis extremam efflet animam. Proh dolor! Tu Doctor Catholicus Patrono Schismatico vteris? Nescis ergò librum a te citatum fuisse ad ipso in

ho-

honorem Nomocanonis Photij conſcriptū? lege Baronium *to.* 12. Annalium ad annum 1191., et docebit te, quanta fuerit Balſamonis nequitia, quàm peſſima doctrina. Lege Bellarminum *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 1191., & ex ipſo audies: *Fuit autem Balſamon ſchiſmaticus, & Romanæ Eccleſiæ infenſus, non minùs quam Photius.* Romana Eccleſia nunquam adeò graue ſuis præceptis iugum imponere fidelibus intendit, vt etiam dum extremam efflent animā ipſos ad abſtinendum a cibis vetitis obliget. Balſamonica illa doctrina ſchiſmaticum ſapit rigorem, non Catholicam ſuauitatem; ab illa ergo declina, ſi ſecurus cupis incedere. Catholica Eccleſia Chriſti Sponſi ſuauitatem imitatur, & ſicut ipſe, quandò aliqua nimis ardua ſunt, ea non exigit a nobis ſub præcepo: ſic non imponit præceptum, vt pro proximo exponamus vitam, quandocumque licitum eſt exponere, ſed ſolum ſub conſilio ſuadet: ita Eccleſia licet ſciat aliquas abſtinentias, & macerationes cum aliquo ſanitatis detrimento eſſe nobis licitas, tamen eas ſub præcepto non exigit, nec quemquam obligat ad ſubeundum grauis damni periculum. Dixi, cum aliquo ſanitatis detrimento, vt notarem, quòd quando abſtinentiæ & macerationes coniunctæ ſunt cum magno ſanitatis detrimento, non probantur ab Eccleſia, vt patet *ex cap,*

Non

Non mediocriter de consecrat. dist. 5. vbi dicitur, quod Ieiunium non debet esse impeditiuum maioris boni, & præcipue charitatis. Cum enim ex charitate teneatur homo sibi graue malum non inferre, eo ipso quod abstinentiæ, & macerationes cum graui damno coniunctæ sunt, aduersantur charitati, & per consequens nec Deo, nec Ecclesiæ gratæ sunt. Quare Balsamonis austeritas in tenebris orientalis caliginis conticescat.

34 Citas Edictum Illustrissimi, ac Reuerendiss. Archiepiscopi nostri quo monet, ne quis in præiudicium Ecclesiastici præcepti abutatur licentijs. Etiam ipse Summus Pontifex si aliquem dispenset, non intendit, vt abutatur dispensatione. Quid inde? Sequiturne ex hoc dispēsatum generaliter, & legitimè a lege teneri adhuc ad legem? Non vtique. Quid ergo deducis ex Edicto abusum prohibente? Abusus est contra vigētem legem vsus. Estnè lex aliqua, quæ præcipiat vt generaliter, legitimè, & absolutè dispensati a Quadragesima ieiunent ferijs 6. & Sabathis? Nulla est. Edictum ergo vetans abusum non vetat, ne dispensatione huiusmodi vtamur prædictis diebus. Vetat ne quis absque iusta causa petat licentias, vetat ne obtentam dispensationem ad crapulas, & ebrietates conuertat: vetat denique ne vires corporis, quibus subleuandis Ecclesiæ indulgentia benignè

gnè inclinauit, in fouendis impudicitijs, & alijs Dei offensis procurādis impendantur. Hi omnes abusus sunt: Ab his vigilantissimus Pastor cauendum monet; non autem ne obtētis dispensationibus vtamur, dum legitimæ sunt; etiam pro ferijs 6. & Sabathis, dum sunt generales, & absolutæ. Hæc sunt, quæ a me præterita iactabas, inopiæ respondendi silentium a charitate profectum tribuens. Fortasse iam cupias me in prætereundis perseuerasse.

36 Mendacij turpissimam mihi inurere notam conaris *Apolog. n. 39.* quod dixerim *n.* 47, meæ Synopsis me consuluisse alumnos Regulares ex omnibus ferè familijs obseruantissimis, necnon sæculares Presbyteros, quos opinioni fauere nostrę comperii. Ab hac nota me vindicant Opus P. Sebastiani de Comitibus Florētię impressum: Opus D. Placidi Rossi Theatini impressum Lucæ: Opus R. D. Caroli de Mazzis impressum Venetiis; Epistola, quam consultus a me exarauit P. Henricus Florauantes insignis Theologus ex ordine Illustrissimo Prædicatorum in hanc sententiam; *Synopsis tua donum eo libentiùs accepi, quo ardentiori tenebar desiderio videndi, an mea me fefellisset opinio, dum & consuetudini, & rationi consonam hanc sententiam semper putaui, & docui. Gratias ago magnas, quod donaueris: maximas quòd tam doctè, ac luculenter pro conscientiarum quiete scripseris. Reddet bonorum omniū*

re-

remunerator Deus, a quo tibi perpetuam fœlicitatem deprecor. Vale. Ex Carmelitarum pariter Ordine duos non vulgaris litteraturæ, ac morum probitatis Theologos audiui; vt fileam plures alios ex aliis Familiis; & sæculares Presbyteros in moralibus plurimum versatos, qui omnes vnanimi consensu id omnino tenendum esse affirmarunt. An istæ Religiosorum familiæ sint ex obseruantissimis: An ex summæ litteraturæ amātissimis, indicent alii. Totus certè Christianus Orbis hoc fatetur, experitur, & prędicat. Mentitus igitur nemini possum iustè videri.

§. VII.

36 Quæres 1. cur vos integrum annum morati estis, vt obiicitur *Apolog. initio* in hoc casu resoluendo, cum tam cito Dissertator, vt habet Apolog. n. 50. videlicet, *trium dierum curriculo, atque adeo festinanter scripserit?*

37 Resp. quia res noua erat, teste ipso Dissertatore n. 18. *dissert. Cum autem de dispensato generaliter in pluribus absolutissimis tractatibus de Ieiunio, ne verbum quidem faciant DD. communiter.* Et res grauis erat, cum ageretur de subiiciendis peccato mortali conscientiis. Docent autem cum D. Thoma DD. omnes quod nemo peccati mortalis reus pronunciandus est sine certo, & claro fundamento, quod vt habeatur, nō

pīæ

præpropera responsione, sed diligenti inspectione opus est. *Naturale enim dictamen dictat quod in rebus grauibus maturè procedendum sit, & proinde maior consultatio adhibenda sit, vt in ipsis rectè procedatur; & ideò in eligenda opinione inquirendum diligenter, quid liceat, vel non liceat.* Pasqualig. *decis.* 24. *n.* 1. Bresler. *lib.* 3. *de conscient. cap.* 4. *n.* 45. Memineramus in Romana Synodo sub Hilario Pontifice celebrata, Patres quinquies exclamasse: *vt seruetur antiquitas rogamus*; ac propterea cum antiquissimus mos esset, vt generaliter, & legitimè dispensati non ieiunarent feriis 6. & Sabathis, nouitatem oppositæ sententiæ suspectam habuimus, & non trium dierum curriculo, nec festinanter, sed maturè considerandam duximus. Memineramus quod quando duę opiniones sunt probabiles sed vna rigida, & altera benigna, præferenda est rigidæ benigna. Nauar. *in manual. c.* 17. *n.* 187. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 7. *n.* 1. Pasqualig. *decis.* 9. *n.* 2. & ex Iurisperitis Farinac. *in repert. iudicial. q.* 14. *n.* 65. Cabal. *in resol. crim. casu* 200. *n.* 145. Menoch. *lib.* 2. *præsumpt.* 71. *n.* 25. Chartar. *decis. crim.* 47. *n.* 4. aliique plurimi apud ipsos. Multò magis igitur amplectenda videbatur benigna in casu, quo rigida certam probabilitatem nō habebat.

38 Dices. Dubitas ergò de probabilitate sententiæ Dissertatoris in suis terminis acceptæ?

39 Resp. Postquam ipse declarauit, se intelligere de dispensatione partiali, & sine causa, i dest non legitimè concessa, teneri videlicèt, sic dispensatos ieiunare feriis 6. & Sabathis, & simul dixit, verè, generaliter, & legitimè dispensatos non teneri, & huic se opinioni tanquam communi subscribere, non dubito de probabilitate ipsius sententiæ in hunc sensum acceptæ, quia certam puto. Sed si acciperetur sententia, prout sonant termini vtrusque dissertationis, de ipsa valde dubitarem, tùm quia, vt nuper indicaui, ipso teste, noua est, & in ea propugnãda solus ipse est, neotericus nimirùm Doctor; tum quia rationibus intrinsecis destituitur; omnes enim probationes in dissertationibus allatæ sunt mera extensio de casu ad casum, quam esse fallacissimam probandi formam omnes fatentur; & Doctores qui ex professo casum hunc examinant, a me citati superius n. 4. sunt omnes pro nostra sententia; tùm denique quia Summus Pontifex Alexander VII. in suo Decreto anni 1665. opinionem iunioris, & moderni, dum rationibus destituta sit, non vult esse probabilem, vt patet *proposit.* 27.

§. VIII.

40 Quæres 11. An Medicus omnibus quouis modo indigentibus debeat eodem testimonio indulgere?

41 Resp. Non debere. Ratio est, quia

si qui valeant oua & lacticinia comedendo grauis damni periculum euitare, & Medicus id cognoscens testaretur eos absolutè indigere formula superius adducta n. 2. mentiretur in re graui, & cooperaretur præiudicio, quod afferretur præcepto Quadragesimali; quæ fieri sine graui culpa nequeunt. In eo igitur casu, quo Medicus examinata petentis indigentia, iudicabit prudenter, ipsi non esse timendum graue damnum, si ouis & lacticiniis vtatur, debebit de hac, & non de ea, quam non patitur, indigentia testari, quod facere per hanc formulam, vel aliam similem poterit.

N.N. iustis de causis abstinere nequit ab ouis & lacticinijs in præsenti Quadragesima.

42 Dixi, examinata petentis indigentia, nam si quis ea non inspecta, testaretur adesse causam iustam dispensandi, imprudēter se gereret, & lethalis culpæ reus omnino fieret. Summa proinde me cumulauit ædificatione Gregorius Redi nobilis Aretinus, non minori morum integritate, quam Medicinæ scientia, quæ fuit in ipso eximia, clarus, qui coram me rogatus a quibusdam Proceribus, vt testimonialem tesseram pro dispensatione suorum filiorum a Quadragesima exhiberet, ingenuè respondit. Se eorū vultus, & pulsum, ac alia diligenter ad hoc necessaria examinaturum, & repertis sufficientibus causis libenter facturum quod e Domini gloria, & eorum sanitate cēsuisset.

43

§. IX.

43 Quæres 3. An ſatis foret, vt Prælatus diſpenſaret cum clauſula, qua rem in ſubditi conſcientiam reiiceret, id eſt v t petens vteretur diſpēſatione quandiù, & quatenus opus eſſe in conſcientiâ iudicaret?

44 Reſp Negatiuè. Ratio eſt, quia diſpēſatio ad quietem conſcientiarum eſt ordinata: ſed ſi Prælatus ſic diſpenſaret, non afferret quietem, ſed maximam ſollicitudinē conſcientiis; Subditus enim ferè ſemper formidaret, an eſſet in eo valetud nis ſtatu, quo deberet diſpensatione non vti, multiq; timoratæ mentis homines ſe coniicerent in maxima ſanitatis pericula, propter timorē abutendi diſpenſatione; ergo debet Prælatus ab ea diſpenſandi forma omninò abſtinere, & de conſilio Medici ſe benignum & facilem in diſpenſando præſtare. Audiatur eruditiſſimus Azorius *lib. 7. q.* 18. *Prælatus in hac parte ſcrupuloſus non ſit, nec rem in ſubditi conſcientiam reijciat, nec eius arbitrio relinquat, ſed ſubditum lege ieiunij ſoluat, quando id ſubditus petit, & dubia, & incerta cauſa videtur: nam ſi ſoluit, nulli ſe periculo peccati obijcit, quia poteſtate ſua vtitur relaxando: Si autem ſubditum lege ieiunij non ſoluit in cauſa dubia, & incerta, ſed rem ſubditi arbitrio relinquit, ipſum ſubditum exponit periculo peccati, erroris, & fraudis.* Hoc ipſum docent Nauar. Sanchez. Angelus, & alij a me citati

10-79-15

MC